



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Expositio Cavsarvm Quibus S. R. M. Sveciae bellum à
Rege Regnoque Daniae sibi illatum, etiam post Pacem
Roschildiae initam, continuare coacta fuit**

Coyet, Peter Julius

[S.l.], 1658

Lit. A.A. Literae Wenenses, quibus Commissariis Svedicis ad alteram
Citationem respondent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10534

Lit. Z.

Diploma Regis Daniæ, per quod Wenensibus Homagium, quo Ser. Reg. Sueciæ obstringi debebant, interdicat.

NOs Fridericus Tertius, Dei Gratia, Daniæ, Norvvegiæ, Wandalarum, Gothorumque Rex, Dux &c. Nostro Pastori animarum primario, Prætori & omnibus reliquis Insulæ Nostræ Wenæ Incolis salutem à DEO sempiternam dicimus cum Gratia nostræ oblatione. Postquam ad aures nostras pervenit, S. Majest. Regis Sueciæ Ministros à Vobis requirere velle, ut Regno Sueciæ Homagium præstetis; Nos vigore harum literarum Vobis omnibus & singulis interdiciamus, ne ulli alii, quicumque ille etiam sit, vestræ fidelitatis juramentum præstetis, utpote quo Nobis & Regno Daniæ, non secus ac omnes Nostri fideles subditi in provincia nostra Sialandia obstricti estis, scilicet ad quam provinciam terra vestra cum omni jurisdictione seculari & Ecclesiastica hodiè pertinet, & semper etiam pertinuit. Nos è contrario erimus Rex & Dominus vester clementissimus vestroque commodo modis omnibus studebimus. Dabantur in arce nostra Haffniensi die 7. Maji 1658.

Sub Sigillo Nostro

Friderich

Lit. A. A.

Literæ Wenenses, quibus Commissariis Svedicis ad alteram Citationem respondent.

Excellentissimi & Gratiostissimi Domini Commissarii, Cum nuper in hanc Insulam S. R. M. mandatum die 29. April. Anno 1658. allatum

K. 3

quidem

quidem, sed huc usque à Prætorè Nobis nequē annunciatum neque prælectum fuerit; nunc vero repetitum mandatum Regium nobis insinuetur, cujus vigore die nona Maji itidem Malmogix debemus compatere; Nos juxta S. R. M. præceptum debita submissa devotione ibidem præsto erimus. Dominos nostros benignissimos Protectioni omnipotentis Dei commendantes. Ex Insula Wena die 6. Maji Anno 1658.

Vest. Vest. Exc. Exc.

subjectissimi servi

Georgius Georgii.	Petrus Olai.	Sveno Johannis.
Petrus Jani.	Sveno Olai.	Janus Laurentii.

Lit. BB.

Commissariorum ad ordinandam Scaniam constitutorum literæ ad S. R. M. Sveciæ, in quibus de Venensi negotio quædam enarrantur.

Serenissime ac Potentissime Rex, Domine clementissime, Postquam Officialis ille bellicus in Insulam Wenam à Nobis ablegatus tam à Pastore quam agricolis ibidem responsum scriptum nobis retulit, cujus tenore die 9. Maji, quemadmodum postulatum à Nobis erat, heic præsto esse, & Vestræ R. M. homagio & fidelitatis juramento se debitè submittere volunt, quemadmodum V. R. M. ex adjuncto literarum exemplo eò melius informari potest, in quibus speciatim agricolæ excusare conantur, quod citius non comparuerint, cum literæ nostræ priores à Prætorè suppressæ, nec iis prælectæ fuerint; Animarum verò ibidem Pastor simul nobis significat, quod olim Episcopatus Sialandix semper subjauerit: Nobis persuaseramus futurum, ut datam fidem suam in hoc negotio servarent. Verum interea temporis in manus nostras pervenit diploma aliquod S. R. M. Daniæ, in quo dictæ Insulæ incolis juramenti præstatione interdicitur, ut itidem Vest. R. M. ex adjecto illius Inhibitorii Exemplo pluribus percipiet. Præter adducta nihil amplius circa hanc causam contigit, & incolæ Wenenses definito tempore non com-
paruerunt